



**A**lmannus natione Germanus amore literarum Altuillarense cœnobium Sancti Benedicti ingressus est. Fuit is multis artibus & scientijs instructus: Cum itaque eius tempore Francia & Germania à Northmannis vastaretur, ipse exemplo Hieremiæ prophetæ desolationem earum terrarum deplanxit, atque de ea re librum composuit. Scripsit insuper uitam Vinardi Episcopi, & Sancti Sindulphi. necnon uitam Sanctæ Helenæ Augustæ, cum multis alijs: claruit anno octingentesimo nonagesimo, sub Carolo tertio Imperatore. Trithemius in scriptoribus Ecclesiasticis.